✠

EL MAESTRO Fr. LUIS DE LOS RIOS, Prior Provincial de la Provincia de Andalucìa, Orden de Predicadores: Hago saber â VV. PP. que en el Corrèo immediato de Roma recibo una Carta de N. R.mo P. General Fr. Antonino Bremond, que â la letra es, como se sigue:

In Dei Filio sibi dilectis universis Patribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum.

FR. ANTONINUS BREMOND,

Sacræ Theologiæ Professor, ejusdemque Ordinis humilis Magister Generalis, & Servus.

Salutem, & Fidei propagandæ zelum.



QUI Dominicanæ Familiæ, immo Ecclesiæ universæ decora, & ornamenta ita ex animo pendit, ac reputat, quemadmodum decet optimæ Matris amantissimos Filios, is effuso prorsus, ac intimo gratulationis sensu novissimè partos intelliget ab Apostolicis Viris Ordinis nostri in extremis Orientis plagis pro Catholicæ Fidei propagatione triumphos. Alter jam annus absolvitur, quo certis nunciis accepimus RR. PP. Fr. FRANCISCUM GIL DE FEDERICIS, & Fr. MATTHÆUM ALPHONSUM LEZINIANA, Hispanos ambos Provinciæ nostræ Sanctissimi Rosarii Philippinarum alumnos in Regno Tunkini post diuturni carceris pressuras, constantemque ante Præsides, & in vinculis ipsis Evangelii prædicationem gladio percussos gloriosam pro Christo mortem obiisse. * *Quos nimirum vinculum Confessionis, & hospitium carceris simul junxerat, junxit etiam consummatio virtutis, & gloria cælestis.* Eorum Passionis acta ab Episcopo Coricensi literis excepta, ac Romanis Typis vulgata, ad plerosque vestrum pervenisse arbitramur.

*S. Cyprianus Epistol. 8. ad Martyres, & Confessores.

Paulo post excitata in Provincia Fokiensi Sinarum Imperii gravi admodum adversùs Catholicos, atque in primis Evangelii Præcones persecutione, prehensum ab Infidelibus, atque in vincula conjectum audivimus Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Fr. PETRUM MARTYREM SANS, Episcopum Mauricastrensem, ac Vicarium Apostolicum ejusdem Provinciæ, eodemque tempore unà simul carceri mancipatos Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Fr. FRANCISCUM SERRANO, Episcopum Tipasitanum, Provicarium Apostolicum, ac RR. PP. Fr. JOANNEM DE ALCOBER, Fr. JOACHIMUM ROYO, & Fr. FRANCISCUM DIAZ, Missionarios Ordinis nostri, jamque latam in omnes capitis sententiam ab Sinarum Imperatore mox confirmandam. Recentioribus demum literis nunciatum est prælaudatum Illustrissimum Præsulem Fr. PETRUM MARTYREM SANS, post toleratas invicta roboris Sacerdotalis constantia duræ custodiæ angustias,

vexa-

vexationeſque graviſsimas, illuſtre, & gratiſsimum Deo, & Angelis ſpectaculum exhibuiſſe, atque obtruncato capite Apoſtolatus ſui curſum ad annos ferè triginta ſex in Imperio Sinenſi productum feliciter conſummaſſe, illuſtremque viam, atque expeditam Evangelii aſſerendi, ac propagandi cæteris oſtendiſſe, quam ejuſdem quòque Socios pari alacritate, & fortitudine, vel jam abſolviſſe, vel brevi ſubituros ſperamus. Eximium Religionis noſtræ triumphum verbis amplioribus perſequi, aut exornare vix poſſumus iis verè aureis, verè Apoſtolicis, quibus S. D. N. BENEDICTUS XIV. P. M. die XVI. hujus menſis Sacro Cardinalium Senatui publico in Conſiſtorio rei geſtæ ſeriem pro ſua, ac loci dignitate nunciavit; atque Eminentiſsimorum Patrum oculis ferè ſubjecit. Sapientiſsimam ejus Adloquutionem eximia, qua pollet, rei ſacræ, atque Eccleſiaſticæ eruditione refertam hiſce literis adjunctam damus, utì Monumentum auro contrà, gemmiſque æſtimandum, Eccleſiæ Faſtis, atque Annalibus noſtris inſerendum, quod à ſingulis Cœnobiis hoſtris diligenter ſervari volumus, poſteritatis memoriæ perpetuò commendandum.

Jam verò quo ſimus animo affecti in hoc fauſtiſsimo rei Catholicæ eventu, levius eſt vobis de ingenita nobis ſollicitudine pro Fidei incrementis, ac Familiæ noſtræ gloria rectè æſtimantibus conjicere, quàm Nobis ulla vi verborum explicare. Effuſum eſt in jubilo cor noſtrum, ſuperabundavimus gaudio, * lætati ſumus, ſicut qui lætantur in meſſe; atque exultantes in Deum vivum, per quem abundat conſolatio noſtra, immolavimus ei Sacrificium laudis gratias agentes, ut potuimus maximas, quòd Apoſtolicum S. P. DOMINICI ſpiritum adhuc ævo noſtro in Filiis ejus ſuperſtitem magno Fidei emolumento videamus. Nimirum quod morti proximus, futura proſpiciens, pollicitus fuerat ſe nunquàm illis defuturum poſt mortem, id cùm ſemper effecerit, ſexto nunc Ordinis Seculo cumulatiùs præſtat: Nam qui Animarum ſalutis cupidiſsimus, Martyrii quòque ſitientiſsimus fuit, horum alterum Apoſtolicis ſuis perfecit laboribus; alterum verò, quod votis tantùm aſſequi potuit, cùm aliàs, tum noviſsimè eſt conſecutus in Filiis, * *qui certamine glorioſo ad tormenta vincenda cæteris duces facti, exemplum virtutis, & Fidei præbuerunt.*

* Iſaiæ. c. 9. ℣. 3.
* S. Cypr. loc. cit.

Eo exemplo incitatos, & quaſi claſsico ad pugnandum accitos, non ſinè ingenti lætitiæ ſenſu audivimus, jam plures ex noſtris flagrantiſsimo Evangelii proferendi ſtudio accenſos certatim in ſacras Philippinarum Miſsiones nomen dediſſe, numerum Fratrum ſuorum implere geſtientes, quos per Martyrii palmam Cœlo illatos gratulantur. Utinam verò ſuſcepti muneris ratio, locique, & temporis conditio pateretur, ac ferret, ut eorum agmini adjuncti, quem aliquando inivimus in Americanis Inſulis, ſacrarum Miſsionum curſum Nobis quòque cum ipſis conficere liceret. Arrepto Apoſtolicæ expeditionis vexillo alacri prorſus animo, ac lubentiſsimo præiremus cæteris, atque ad Populos divinæ lucis, & gratiæ expertes maturaremus iter, * parati, ac cupidi tradere illis, non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras. Illuc demum proficiſceremur in gaudio, quo nos ſanguis Fratrum noſtrorum invitat clamans de terra, non vindictam, ut ſanguis Abel; ſed propitiationem, ut Sanguis Chriſti, ac pereuntium Animarum ſalutem. Quandoquidem verò * non eſt currentis, neque volentis, ſed miſerentis Dei, qui arcano Sapientiæ ſuæ judicio ab optatiſsimo Apoſtolici muneris ſtadio, velut ab ubere avulſos, nè cogitantes quidem Romam abduxit, atque in ſortem tranſtulit miniſterii hujus, vicem noſtram dolemus, iis verò quaſi invidentes gratulamur, quos Legatos pro Chriſto digniores, nobiſque utiliores ſegregavit, ac poſuit in lucem Gentium, ut ſint ſalus ejus uſque ad extremum terræ.

* 1. Theſſ. c. 2. ℣. 8.
* Rom. 9. ℣. 16.

Interea dum Pugiles noſtri * induti armaturam Dei, ſumentes ſcutum Fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, calceati pedes in præparatione Evangelii, atque in acie conſtituti adversùs Principes, & Poteſtates, adversùs Mundi Rectores tenebrarum harum fortiter colluctantes præliabuntur prælia Domini, Nos ad ſarcinas remanentes, per omnem orationem, & obſecrationem jugiter effundemus cor noſtrum, ut detur illis ſermo in aperitione oris cum fiducia notum facere myſterium Evangelii, ut in ipſo audeant prout oporteat loqui, nec faciant animas ſuas pretioſiores, quàm ſe. Quando autem * ſanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum, in eam ſpem erigimur fore, ut aucto per novos Evangelii Miniſtros recentis victoriæ, ac triumphi fructu, deleta, atque evulſa per ipſos omni prophani cultus ſuperſtitione, Crucis Chriſti trophæum florentiſsimo inferatur Imperio, populoque ſedenti in tenebris, & umbra mortis fulgeat illuminatio Evangelii, & ſalutis via aliquando aperiatur.

* Epheſ. c. 6. ℣. 18. 19. 20. & ſeqq.
* Tert. in Apolog.

Finem

Finem ſcribendi, non exultandi facimus, & qui doctiſsimi nec ſatis unquam laudati Pontificis BENEDICTI XIV. verba longè omnibus ſplendidiora legenda vobis ſubjicimus, qualemcumque Epiſtolam noſtram diſertiſsimi Epiſcopi, & Martyris Cypriani ſententiis abſolvimus. * *O Beatam Ecclesiam* (beatam Prædicatorum Familiam) *quàm ſic honor Divinæ dignationis illuminat, quam temporibus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat. Erat antè in operibus Fratrum candida, nunc facta eſt Martyrum cruore purpurea: Floribus ejus nec lilia, nec roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad utriuſque honoris dignitatem. Accipiant coronas vel de opere candidas, vel de paſsione purpureas. In cæleſtibus caſtris & pax, & acies habent flores ſuos; quibus Miles Chriſti ob gloriam coronatur.*

* S. Cypr. Epiſtola ſuperius laudata.

Habet itaque, Fratres chariſsimi, Chriſtiana, ac Religioſa pax ſinè cæde, & ſanguine Martyres ſuos, qui nimirum carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis; qui abnegantes ſemetipſos, & ſæcularia deſideria ſobriè, juſtè, ac piè vivunt in hoc ſæculo, utentes hoc Mundo, tanquam non utantur; qui mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumferentes jam non ſibi vivunt, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. Diligamus, Fratres, ſtrenuèque amplectamur hoc, quod ſemel elegimus quotidiani, ac domeſtici Martyrii genus horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Imitatores ſimus Fratrum noſtrorum, ſicut & illi Chriſti, & quos non poſſumus per bella perſecutionum, per vulnera, & mortem, ſtudeamus ſaltèm per pacem ſequi. Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen; profeſsionis noſtræ curſum alacriter conſummantes, fidem ſervantes: * *Quo longior pugna, & corona ſublimior: Agon unus, ſed multiplici præliorum numeroſitate congeſtus. Semel vincit, qui ſtatim patitur, & qui manet ſemper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.* Valete Noſtri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & precationibus veſtris.

* S. Cyprianus Ep. 16.

Dat. Romæ ex noſtris Ædibus Minervitanis die XX. Septembris MDCCXLVIII. Fr. Antoninus Bremond, Magiſter Ordinis. Reg. Fr. Joſeph Muñoz; Magiſter Provincialis Terræ Sanctæ, & Socius.

Y à fin, de que rindamos à Dios las debidas gracias; por el honor, que reſulta à nueſtra Sagrada Religion de tan eſclarecido Martyrio, como tambien del que havràn padecido los demàs, que quedaban en las Carceles ſentenciados ya con pena capital por la Predicacion del Santo Evangelio; y en odio de nueſtra Santa Fè, hago publico à VV. PP. eſta Carta; para que en reconocimiento deſtos triumphos, con que nueſtro Santo Abito ſe adorna de honor, y gloria; demos humildes â Dios los agradecimientos, que renueva cada dia en nueſtra Santa Religion el eſpiritu de mantener la Fè, aun â coſta de la propria ſangre, y nos alentemos â ſeguirlos con el miſmo eſpiritu del martyrio. Dios guarde à VV. PP. en ſu gracia. Sevilla, y Noviembre 15. de 1748.

Siervo afecto de VV. PP.

Fr. Luis de los Rios.

Reg. fol. 22.
Fr. Benito de Avila.
Lect. de Theol.a y Comp.o